

Certificazione Linguistica in Lingua Latina

Prova B2

ESERCIZIO N. 7

Lineas crassis litteris notatas in Italicum sermonem verte

Breve enim tempus aetatis satis longum est ad bene honesteque vivendum; sin processerit longius, non magis dolendum est quam agricolae dolent, praeterita verni temporis suavitate, aestatem autumnumque venisse: ver enim tamquam adulescentiam significat ostenditque fructus futuros, reliqua autem tempora demetendis fructibus et percipiendis accommodata sunt. Fructus autem senectutis est, ut saepe dixi, ante partorum bonorum memoria et copia. Omnia autem quae secundum naturam fiunt sunt habenda in bonis; quid est autem tam secundum naturam quam senibus emori? Quod idem contingit adulescentibus adversante et repugnante natura. Itaque adulescentes mihi mori sic videntur ut cum aquae multitudine flammae vis opprimitur, senes autem sic ut cum sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis exstinguitur; et, quasi poma ex arboribus, cruda si sunt, vi evelluntur, si matura et cocta, decidunt, sic vitam adulescentibus vis aufert, senibus maturitas. Quae quidem mihi tam iucunda est ut, quo propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar aliquandoque in portum ex longa navigatione esse venturus. Senectutis autem nullus est certus terminus, recteque in ea vivitur quoad munus officii exsequi et tueri possis et mortem contemnere. Ex quo fit ut animosior etiam senectus sit quam adulescentia et fortior. Hoc illud est quod Pisistrato tyranno a Solone responsum est, cum illi quaerenti qua tandem re fretus sibi tam audaciter obsisteret, respondisse dicitur: "Senectute". Sed vivendi est finis optimus cum integra mente certisque sensibus opus ipsa suum eadem quae coagmentavit natura dissolvit.

ESERCIZIO N. 8

Responde breviter Latino sermone

1) Ciceronis sententia quid significat ver?

2) Qui est fructus senectutis?

3) Quae habenda sunt in bonis?
